

παλιμαίε Ταυρονος Neomeniam habuit. qua cum Thargelionis Attici Neomenia capit anno secundo primae periodi Metonicae, qui est ille ipse Julianae periodus 4283. ut ex ejus Diagrammate liquet, quod est in II de Doct. Temp. cap. XIII. Proinde Thargelionis Metonici vicinissimo circiter die; ac sub quadrantem ultimum Lunae; heliacus ortus Pleiadum accidit. Quamobrem Thargelione mense gesta res ponitur ab Euripide; aliquot ante captum Ilium diebus, quod mense illo expugnatum esse Veteres arbitrati sunt. Oriebatur, ut dictum est, lucida Vergiliarum cum gradu Arietis 19. Ascensio ejus obliqua in Attica fuit grad. 11, 47'. Ascendente Pleiade, culminabat gradus Capricorni undecimus circiter. Jam vero ex asterismo Aquilae ea, quae est in collo, ultima omnium ad orientem, ascensionem rectam habebat grad. 268, 49', & cum Sagittarii gradu ferè 29 culminabat. Proinde ultra meridianum gradibus aliquot evecta jam erat Aquila, cum Pleiades oriebantur, nimirum circiter tredecim, ac propemodum unius horae spatio. sed nihilominus caeli πὲ μέσῃ perambulabat.

Veris jam adulti, vel ineuntis aetatis id esse tempus declarat idem poeta, cum paullò post ita loquentem choram introducit.

Καὶ μὲν αἴῳ Σιμόεντι  
Ἡρώδιαν κρίνεις  
Φωνίας ἑμῆς πλυχορδοτούσῃ  
Ἰήρῃ παιδοκλήτῳ  
Μελωτιὸς ἀηδονίς μέλερμα.

Atqui audio Simoentis  
Insidentem cubilia  
Cruenta: canit variarum chordarum emulatrice  
Voce, proles sua necatrix,  
Modulatrix Iusciniola cura.

Pag. 187. Nunc Scriptorem nuperum audiamus. Lib. III, cap. XXII tempus νεμεσίαις illius confert in novam hiemem, ac Posideonem secundum, cujus Neomenia convenit in ultimum Decembris. Novilunium porrò commissum ait tertio die Posideonis, sive secundo Januarii. Quare tempus istud competit extremo Posideoni, adeoque Januario. Eo tempore, inquit, occidit mane Vergiliae, sive Pleiades. Quod ex Arati Graeco interprete probat; qui Athyr mense Vergilias ait occasum matutinum facere. Quod autem Aquila tunc caeli media pervolare dicitur, sic intelligit, ut cum sole pariter ab horizonte se efferat. quod idem est, ac si diceret; Sol est in Capricorno. quemadmodum in re non dissimili dixit Cicero,

se pariter cum Sole in luminis auras Effert.

Nam & Aratus cum Capricorno Aquilam scribit ascendere. Hæc ille, in quibus non plura verba sunt, quam errata; nec ea sanè mediocria. Mane occidere Vergilias, id est paullò ante Solis exortum; id verò falsissimum est. Annus Metonis decimus cœpit Julianæ Periodi 4291. Proinde Januarius ille, de quo nuperus Scriptor, sequentem inchoat, 4292. Novilunium incidit Decembris XXX anni 4291, feria 2, hora 15, 6' à media nocte in horizonte Attico, ex Parisinis tabulis, sive potius Decemb. XXXI feria 3. Erat annus Judaicus 3339, cujus Tifri character 3, 19, 89, feria 4, propter Adu, Septembris IV, feria IV, Cyclo Solis Romano VII, littera F. Annus erat embolimaus, utpote Cyclo

Judaico XIV, Romano XVI. Neomeniæ Schebath character 2, 22, 21, feria 3, Decembris XXXI. ut mirum sit novilunium ab auctore nupero conferri in Januarii secundum. Sumatur Januarii XXXIII dies, hoc est Posideon δέσπτης extremus, ut sit quadrans Lunæ quartus, quo manè oriri ante Solem incipit. Anno itaque Per. Jul. 4392, Januarii die XXIII Sol occidit Athenis hora æquabili post meridiem 4, 55'. qui erat arcus semi-diurnus. Descensio ejus obliqua fuit grad. 285, 39'. Obliqua descensio lucida Pleiadum graduum circiter 33, 37'. Differentia 252, 2'. quæ sunt horæ 16, 48'. Ex detractâ de horis 16, 55', quæ à nocte media antecedente ad occasum Solis elapsæ sunt, per canonem XVIII libri primi hujus Operis, relinquunt horam 0, 7' post mediam noctem. Quocirca media nocte, horique septem ante Solis exortum, Pleiades occiderunt. quod sub auroram accidisse ab auctore nupero ponitur.

Nam quòd Arati Scholiasten citat; mira est ἀστρονομία. Athyr enim, non utique Januarius est, sed Novembris; quo Vergilias occidisse manè per illa tempora certissimum est: ac sub ipsum adeo hiemis initium, quod ab occasu Pleiadum ab antiquis reperitur. de qua re supra lib. II, cap. IX. ac rursus libro sequente septimo. Januarius autem non initium est hiberni temporis, sed clausula. Jam de Aquila non minus absurda res est. Hanc Euripideus ille locus adstruit sub auroram media caeli permeasse. Ut non summa ipsa caeli spatia, & ab horizonte propè ex æquo distantia significari putemus; certe talem fuisse situm illius sideris oportet, ut discerni oculis potuerit. Nam nisi Aquilam vigil iste cerneret, non eam utique designaret. Atqui sic illius verba nuperus Scriptor accipit; quasi cum Sole in Capricorno pariter ascendisse velit. qui est cosmicus exortus, non apparet. Aquila stella, quæ est in collo, quæque totius asterismi ad Capricornum accedebat proximè, et quæ in Sagittarii gradu 29 collocata tum erat, ascensionem habuit obliquam grad. 270, 57'. Ascensio Solis obliqua die XXIII Januarii diluculo, 316, 56', cum esset in gradu Capricorni 28, 23'. Differentia ambarum ascensionum grad. 45, 59', horæ 3, 4'. Totidem horis ante Solem exorta est Aquila. qui neque matutinus ortus; neque cosmicus est. Cum enim duabus vel tribus horis Solem præcedit oriens stella; ortus iste matutinus appellari non debet, ut scribit Tattus Isagoges cap. XXXIX. Hinc etiam apparet, falsò ab auctore nupero scriptum esse, cum Sole in Capricorno sito pariter Aquilam ascendere. Si quidem postrema illius cum gradu Sagittarii XIV circiter emergit. Nec Aratus, qui cum Capricorno ascendere scribit Aquilam, de dodecatemorio, sive Signo cœlesti loquitur; quod tum intelligunt, cum Solem dicunt in Capricorno versari. sed de asterismo Hipparchus lib. II, Num. XIII, quod Aratus asserit, oriri cum Capricorno Aquilam, consentaneum esse ait observationibus: & idem tamen Num. XXI Signorum εννοησάμενος explicans, cum Aquila oriente Sagittarii gradus componit quinque, à nono scilicet ad decimum quartum. Non igitur cum dodecatemorio Capricorni per illud tempus ortum faciebat Aquila. Sed hæc nuperi Scriptoris utrumque tolerabilia mihi videntur, præter ejusdem est conjectura super Euripidis posterioribus verbis, in quibus instante aurora cantillantem Iusciniam describit. Etenim de erodio, non de Iuscinia poetam scribere ait; ac verba illius quasi depravata corrigit; tum eam adhibet interpretationem, quæ hand scio an alteri mortalium, quotquot hodie spirant, in mentem venire potuerit. Eam neque confutabo; nec ulterius tam illepido commento patientiæ eruditi lectoris illudam.

DIONYSII  
PETAVII  
E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA  
TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER SEXTUS.

In quo contra Plinianarum ad Solinum Exercitationum Claudii Salmastii varia capita disputatur.

CAPUT I.

Mira Salmastii à seipso dissenso, ejusdemque de seipso judicium.

S CORPIOS narrat vexatos ab hominibus, & interclusos, cum se alicui nequeunt, aculeos in se vertere, ac sese conficere. Sic apidem scribit Epiphianus inopia passus efferat in sua membra scævire, & ea paullatim mandere. atque ita complures in Ægypto, trunco, ac semeso corpore, è templorum fundamentis ait effossas. Similimè fecit in commentariis suis Solinianus Exercitator: qui cum maledictis & conviciis vivos ac mortuos appeteret, ne sibi quidem postremò pepercit ipsi; & ea in se dixit, quibus audire ne ab insensissimis quidem graviora, ac vetiora potuisset. Festiva res, & eruditi lectoris spectaculo non indigna; quæ ut in aliis propemodum incredibilis esset; sic in isto propter talium rerum affiduitatem admirationem habere desinit. Ea ut intelligi possit, quæ ad hanc explicandam necessaria sunt, breviter exponam.

Mihi cum Scaligero controversia super Atticis mensibus fuit, ac Mamaetherione præsertim: quem Gaza proximum à Boëdromione, ante Pyanepсионem collocandum censuit, ut esset mensium ordine quartus. Scaliger contra Boëdromioni Pyanepсионem; huic Mamaetherionem subjecit. Ego Gazæ sententiam Scaligerianæ anteponendam esse docui in Epiphianianis Animadvers. ad Har. LI, & lib. I de Doct. temp. cap. X, idque argumentis pluribus ostendi: quæ quantam vim habeant, post paullò declarabitur. At Solinianus Exercitator, cum de mensibus istis fortè sermo ei incidisset, repudiata Scaligeri opinione, meam, & Gazæ complexus est, quam his verbis proposuit: Boëdromion, & Mamaetherion menses Attici ita se subsequuntur, ut Romani September, & October. nam Boëdromion circa æquinoctium autumnale, quando oritur arcturus. uno mense ante migrant coturnices, quam grues: illa Boëdromione, qui Septembris respondet; hæ Mamaetherione, qui Octobri. utraque eodem tempore faciunt migrationem ex τρωχέων. In his & Gazæ, ac mihi pariter assentitur; & idem, quo tui sumus, argumentum adjicit, de coturnicibus, quæ uno mense ante grues volare cernuntur.

At idem postea, velut Ciræo poculo repente mutatus, patronum illius ipsius, quam defenderat, opinionis stolidum, barbarum, imperitum, quidvis denique

ob id unum, quòd ita sentiret, appellavit. Verba illius. Plin. Hoc unico argumento retundi potest stolidum peccus pecoris Exercit. N. qui Pyanepсионem mensem subjungit Mamaetherioni, Mamaetherionem Boëdromioni. quæ Gaza fuit sententia jam pridem à Scaligero explosa. Sed odium Scaligeri barbara menti insitum, & litterarum omnium imperitia rationi, scientiæque prævaluerunt apud eum. P. 735. D.

Hæc illius totidem verba sunt: quæ si inter se componantur, apparet cujusmodi se hominem & esse judicaverit, & haberi à nobis, appellarique voluerit. Atque hoc eo nobis persuadere facilius debet, quòd neque certius cum nosse quisquam illo ipso potest; nec amore in eundem, ac voluntate esse majore, quam in se est ipse: ut quæ tam ingenuè de se profiteretur, ea quam sunt ab odio procul, ac malevolentia; tam ex veritate profecta videantur.

Sed sit illud vel stuporis, vel inconstantia. At sententiam mutavit. at agnovit errorem. novi denique vidit aliquid, quod eum contrariam in partem traheret. Nihil ab eo dico argumentorum esse productum, quod non à Scaligero primum allatum, à me verò confutatum, explicatimque sit. nihil item propemodum, quod non illi ipsi, cujus adhibetur gratia, evertendæ potius opinioni, quam adjuvandæ ac persuadendæ servire debeat.

Quoniam igitur de Atticorum mensium ordine, ac situ primum ille pro me, deinde contra me sentire voluit; ego miro quodam pugnandi genere, non tam meam adversus illum, quam ipsius contra se causam, opinionemque defendam. ac vetiora se prius sensitisse mecum, iisdem ferè, quibus ad oppugnandum usus est, argumentis faciam ut ipsemet agnoscat. Sed antè pauca de Attico anno, ac mensibus præfari necesse est, sine quibus ea capi à tardioribus, quæ dicenda sunt; vel sic exponi ut intelligantur, facile nequeunt.

CAPUT II.

Disputatur contra Salmastium de ordine anni Attici sitique mensium. ac primum astronomica τμήσεις ad dirimendam controversiam utiles explicantur.

VETERE Græciæ memoria, præsertim in Attica, civilis annus ut ad Lunæ cursum institutus, ita minime ad eam exactè comparatus fuit. Nam ut rudes erant disciplinæ cœlestis homines, menstrua Lunæ spatia tricenis diebus, annum lunarem CCLX metiebantur. quod ex Herodoto, Gemino, Cenforino, lib. I de

de Doct. temp. & hujus operis libro toto quarto probatum est contra Hispanum Jurisconsultum. Quare frequens, ac mira tunc erat anni, mensisque turbatio: cui dierum exemptione, vel additione identidem mēderi cogebantur. ut in aureo suo libello Geminus noster nos docuit. Paullatim deinde, ubi astronomia cum aliarum doctrinarum studiis caput erexit, sæpius emendati sunt fasti; atque ad certiora Luna curricula popularis applicatus est annus. Id ut progressum habuerit, idem auctor egregie declarat capite VI de mensibus. Constituto jam anno, ac certis orbium intervallis adstricto, menses singuli non eundem in Juliano, ac Solari anno situm obtinebant: sed in diversos illius menses incidentes, pristinas in sedes intercalationis frāno revocabantur. quod in omni anno, ac periodo lunari ulavenire necesse est. Intercalarius mensis fuit *Posideon*. Id ex Ptolemao primum cognoscitur: qui lib. IV, cap. ult. meminit *Ποσειδών* a, primi, ex quo sequitur posteriorem fuisse alterum. fuit autem annus ille, quo lunaris observata defectio est Posideone priore, Nabon. CCCLXVII, anno secundo Olymp. XCIX, Per. Jul. 4332, Decemb. XII, ante Calippicam periodum. Deinde ex Halicarnassensis auctoritate idipsum concluditur. qui annum eum, quo capta Troja est, intercalarem facit: utpote in quo Scirophorion ultra solstitiale cardinem viginti diebus excurreret. Neque tamen intercalatus est in eo Scirophorion, quoniam captam referet esse Trojam Thargelionis XXIII, cum ad annum comprehendendum septem & triginta dies restarent, comprehendendum scilicet ipso die vicesimo tertio. Tum addit eam computationem instituit, ut *ἡλικαρνασσοῦ τὰς ἡμέρας ἀγνοῦσιν, ad eum modum, quo Athenienses tempora sua digerunt. Igitur Athenienses non Scirophorionem, quamvis postremus mensis esset: sed Posideonem ubi opus erat, intercalabant.*

Annus Attici car. do.

Annus Atticus ab æstivo Solstitio circiter inibat; hoc est, quantum conjectari licet, ab eo lunari mense, cuius Neomenia Solstitio citima erat. quod in sequentibus ostendetur. Ex eo factum est, ut Hecatombæon Junio mense nonnumquam inciperet; aliās verò Julio. Sic Metaginion Julii & Augusti partes occuparet. Boëdromion Augusti & Septembris; & ita reliqui; velut Gamelion sæpe in Januario post *ῥεγονίς* incipiens, interdum eas antevertebat.

Huic est contraria Scaligeri ratio, qui Hecatombæonis Neomeniam perpetuò post Solstitium cœpisse pugnat. ac de ceteris mensibus parum, ut postea dicitur, commode sentit. Scaligerianum ad tripodem in his, quorum profus est rudis, Solinianus Exercitator sententiam suam accommodat. Quare & de Mæmacteronne, reliquisque mensibus assentitur: & ad id, quod non intelligit, probandum ex eo argumenta describit. quorum partem maximam non eum assecutum esse, fit ex eo conjectura, quod ex iisdem illis contrarium ejus, quod probare studebat, necessariò conficitur. At ille non sic est hebes aut exultationis adeo contemptor suæ, ut, si id quod dicit capere posset, contra se testimonium ista proferret. Duo sunt capita controversiæ nostræ. alterum de anni Attici cardine, five de Hecatombæonis initio: alterum de reliquorum mensium ordine pariter & initio. De priore placet idem Solinianum commentatori quod Scaliger; numquam ante *ῥεγονίς* Hecatombæonem cœpisse. *ῥεγονίς* autem ejusmodi, quales apud Scaligerum legit, in anno statuit: nempe octavo die Julii mensis. Hæc enim istius verba sunt:

Salmastii de Hecatombæonis epocha sententia. Plin. Exerc. p. 439. B. pag. 314. B.

*Græci veteres, ut rectè notat Scaliger, ἡμερῶν ῥεγονίς, id est τὸ κέρτα, VIII Julii mensis statuiebant, hoc est undecim tantum dies ante exortum canis. Item alibi: Hibernum solstitium veterum Græcorum VII Januarii fuit. ut rectè observavit summus Scaliger. Ad ordinem ceterorum, situmque quod spectat, Mæmacteronem, ut paulò ante scripsi, Pyanepсионi subjicit; quem partem Novembris, ac Decembris, occupatè putat: Posideonem quoque Decembris, ac Januarii: Elaphebolionem Martium &*

*Aprilē dividuus habuisse, & primum fuisse mensem post æquinoctium verum. Hoc verò adeo perpetuò contigisse lib. censeat; ut quemadmodum Hecatombæonis Neomenia numquam IX Julii anteverit; ita Metaginionis Neomenia numquam Augusti VIII antecesserit; Boëdromionis, sextum Septembris; Pyanepсионis VI Octobris; Mæmacteronis IV Novembris; Posideonis IV Decembris. & sic in reliquis. quod subinde declarabitur. Atque hoc ex iis, quæ cum Scaligero sentit, necessariò consequens est. Nam si ante *ῥεγονίς* Hecatombæon numquam penitus inchoatus est; *ῥεγονίς* verò sunt VIII Julii dies: hinc velut catena quadam apta sunt reliquorum mensium initia, ut numquam ante illos, quos notavi, dies inchoari poterint.*

Hæc ab illo posita sic me everfurum esse polliceor, ut & certissimis demonstrationibus, & iis, quibus illa probavit, argumentis, ac suam ipsam voce convincam. Ad hunc porro sermonem, ac disputationem adiutum illa nobis argumentatio præbuit, quam a Scaligero mutuatus, contra opinionem pristinam de Mæmacteronne suam, ac nostram valere plurimum existimam. Ea verò sic habet. Ptolemaus conjunctionem Lunæ cum spica Virginis observatam refert à Timocharide anno Nabon. CCCCLXVI, Pyanepсионis sexta. *πλεθύνει*, id est XXV, anno XLVIII Periodi Calippicæ. Scribit hoc Ptolemaus lib. VII, cap. III. Id autem tempus cædit in eam noctem, quæ inter VIII diem Decembris, ac nonum intercessit. Unde sequitur Neomeniam Pyanepсионis circiter Octobris XV contigisse: ac proinde Boëdromionem proximum esse Pyanepсионem; cum ille Septembris ferè responderit. Quoniam igitur in astronomicis observationibus tantum ad nos convincendos adjumenti sibi esse perisulium habet, tam ex hac ipsa, quam ex aliis ab eodem Ptolemao traditis, pertinaciæ illius os obstruemus.

Extant apud Ptolemaum Timocharidis *τηρήσεις* quatuor capite illo III libri VII. quæ temporum ordine referant. Prima docet anno primæ periodi Calippicæ tricesimo sexto, Posideonem XXV, Lunam juxta Scorpionem stellam fuisse conspectam. Tempus convenit anno Per. Jul. 4419, ac nocte, quæ in Decembris XXI cædit, Posideonem XXV Decembris diem XX tenuit, quæ finita, cum ortu Solis postridie XXVI Posid. XXI Decembris iniiit. uti lib. II de Doct. temp. cap. XX mon-

stravimus. Ideo Posideonem Neomenia cædit in Novembris XXVI. Secunda *τηρήσεις* anno eodem Calippico, sed Jul. Per. 4420 facta est: quando Elaphebolionis XV die definita, sequente XVI, animadversa est Lunæ conjunctio cum Spica Virginis, anno Nabon. CCCLIV, Tybi V. fuit hic Martii dies IX; ut Elaphebolion cœperit Februarii XXII.

Tertiò anno Periodi Calippicæ XLVII, octavo die Anthelsterionis deprehensa est Luna cum Vergiliis anno Nabon. CCCLXV Athyr XXIX. Annus erat Per. Jul. 4431. Januarii porro XXIX id accidit. Igitur Anthelsterionis Neomenia incurrit in Januarii XXII.

Quarta *τηρήσεις* est illa, quam & Scaligero Solini commentator expressit. De his omnibus astronomicis observationibus videndum est planè caput XX lib. II de Doct. temp. In his verò animadvertendum est, anno XXXVI periodi primæ Calippicæ, & XLVII, minime intercalatum fuisse. Cum enim Posideon embolimus mensis fuerit, ut paulò ante significavi, hic annis illis duobus minime intercalatus est. Non XXXVI: quoniam inter Posideonem, qui Novembris XXVI cæpit, & Elaphebolionem, qui iniiit XXII Februarii, soli Gamelioni & Anthelsterionis locus est. Non XLVII: quippe Anthelsterion Januarii XXII iniens arguit Gamelionem Decembris XXV cœpisse ante *ῥεγονίς*. Ut autem evidentiore sint omnia, subjiciam eruditi lectoris oculis quatuor annorum typum; in quo menses iis ex astronomicis observationibus ordinantur.

Tabula

Tabula annorum quatuor primæ periodi Calippi, cum Neomeniis mensium Atticorum Julianis mensibus attributis.

Menses Attici	Annus Calippi 36 Per. Jul. 4419	Annus Calippi 37. P. J. 4420	Annus Calippi 47 Per. Jul. 4430	Annus Calippi 48. Per. Jul. 4431
1 <i>Ἐκατομβæων</i>	Julii I	Junii XXI	Junii XXIX	Junii XIX
2 <i>Μεταγιντιών</i>	Julii XXXI	Julii XXI	Julii XXIX	Julii XIX
3 <i>Βοηδρομιών</i>	Augusti XXIX	Aug. XIX	Aug. XXVII	Aug. XVII
4 <i>Μαμακτερόν</i>	Septem. XXVII	Sep. XVIII	Sept. XXVI	Sept. XV
5 <i>Πυανεπσιών</i>	Octob. XXVII	Octob. XVII	Octob. XXV	* Octob. XV
6 <i>Ποσειδών α</i>	o	Nov. XVI	o	Nov. XIV
6 <i>Ποσειδών β</i>	* Novemb. XXVI	Decemb. XVI	Novem. XXIV	Decem. XIIII
		Per. Jul. 4421		Per. Jul. 4432
7 <i>Γαμηλιών</i>	Decemb. XXV	Januar. XIV	Decemb. XXIII	Jan. XI
	Per. Jul. 4420		Per. Jul. 4431	
8 <i>Ἀθηροειών</i>	Januarii XXIV	Februa. XIII	* Janua. XXI	Feb. X
9 <i>Ελαφεβολιών</i>	* Februarii XXI	Martii XIII	Febr. XX	Mar. XII
10 <i>Μουνορσιών</i>	Martii XXIV	Apr. XII	Martii XXI	April. XI
11 <i>Θαργηλιών</i>	Aprilis XXI	Maii XI	Apr. XX	Maii X
12 <i>Σιρροφωριών</i>	Maii XXI	Junii X	Maii XX	Junii IX

Hæc tabella annorum quatuor descriptionem exhibet in quibus Hecatombæonis Neomenia, ceterorumque mensium ex observationibus astronomicis partim *ἀστρονομικῶς* constituta sunt; partim ex certissima anni Attici ratione. Posideon intercalaris est mensis; uti paulò ante probatum est. Sed in duobus tantum Calippicæ periodis, nempe 37, & 48, fit intercalatio. In reliquis ad Posideonem & Neomeniam adscripsimus. quia ex ambobus iste ordinarius est: Posideon autem *α* intercalaris, & extraordinarius. ideo locum in annis simplicibus non habet. atque hoc nota *ο* demonstrat. Hecatombæonis Neomenia ferè cum Calippicæ periodi tabula congruunt, quam lib. II de Doct. temp. cap. XX proposuimus: præterquam in anno XLVII Calippi. Nam hic Junii XXIX, illic XXX, Neomeniam Hecatombæonis attribuimus. quoniam hoc loco civilem ordinationem, illic verò astronomicam tenemus. Atterisci porro ad eos menses positi sunt, quibus observationes competunt.

CAPUT III.

De Mæmacteronne mense, ubi Pliniani Exercitatoris desultoria levitas ex eo ipso, quod attulit, argumento mirò modo convincitur. tum in reliquis mensibus error ejusdem.

SUPEREST ut è superiore tabella, quod polliciti sumus, Solinianum commentatorem doceamus illo ipso, quod contra se, nosque attulit, argumento, contrariæ opinioni patrocinari. Anno, ait, Calippicæ periodi XLVIII, Pyanepсионος XXV, Luna cum Spica conjuncta fuit ante Solis ortum, die Decembris IX, anni Per. Jul. 4431. Hic est annus in tabella superiore quartus quo Pyanepсионis Neomenia conjicitur in Octobris XV, uti postulat ejus XXV dies in VIII Decembris, & XXVI in nonum incidens. Non fuit hic annus embolimus, uti cap. superiori demonstravimus ex eo, quod Anthelsterion anni antecedentis, qui mensis octavus erat, Neomeniam habuit Januarii XXII. Itaque Gamelion cœpit Decembris XXIII; Posideon Novembris XXIV. Non igitur intercalatio facta est. quod cum accidit tum Gamelion post *ῥεγονίς* incidit. Proinde necesse est Hecatombæonis Neomeniam incurrisse in Junii XIX diem. A die Junii XIX ad Octobris XV, quo Pyanepсион iniiit, interjecti sunt dies 118, quæ sunt lunares syzygia integræ quatuor. Si Pyanepсион quartus est, ab Hecatombæonis Neomenia ad illius initium, five ad finem Boëdromionis, dies sunt comple-

Part. III.

ti 89. qui definiunt Septembris XIV. Quid ergo fiet diebus reliquis XXX, qui à XV Septem. ad XIV Octobris, five initium Pyanepсионis extenduntur? Quid ais Criticorum columnæ? Die fodes aliquem, die Quintilianæ colorem. & huic argumento responde, si potes. Anthelsterionis Neomenia anno Calippi XLVII, Per. Jul. 4431 cœpit Januarii XXII. si Pyanepсион quartus est ab Hecatombæone, octo lunares menses ab initio Anthelsterionis ad initium Pyanepсионis evoluti sunt. Sunt autem dies 236. A secundo & vicessimo Januarii ad XIV Octobris, qui proximus est ante Neomeniam Pyanepсионis, dies sunt 266, hoc est triginta amplius, quam ratio postulat. Aut igitur novus aliquis fabricandus est mensis, qui in vacuos istos dies inferciatur; aut ad priorem tuam, hoc est meam cum Gaza sententiam recipere te debes; quam inconsultè postea damnavi.

Viderat hanc labem doctrinæ suæ, opinionisque, quam ex eo mutuatus es, summus tuus Scaliger: & ut illi succurreret, certam rationem excogitavit, quæ nec illi commode successit; & tu eam tibi argumentationis tua præclusisti. Duplex enim genus anni Atheniensibus tribuit, unum populare, ac neque ad Lunam, neque ad Solem descriptum, dierum CCCLXII: alterum lunare, quod *πεπρασιός* vocavit, quo magistratuum tempora dispensabantur. ad hoc genus anni pertinere credit Octæteridas, Enneadæctæteridas, ac Metonis, & Calippi periodos lunares. In anno populari, & in Octæctæteride, ac Metonis periodo intercalarium mensem fuisse Posideonem asserit. in Calippicæ verò Scirophorionem. Tu isto qualicumque præsidio uti non potes; nisi nugas istas anni Attici æquabilis amplecteris; cujus etiam pattonum te fore promissisti; & nos promissi tui fidem olim expectamus. Atqui ne hoc tibi quidem integrum fecisti, ut eò posses confugere. Cum enim de mensium Atticorum civilium ordine argumentum ex anno lunari Calippico *ἀστρονομικῶς* contra te meque sumperis; hunc eundem civilem fuisse fateri cogeries, alioqui nihil argumentatione tua proficeres: neque consequens foret quod tu vis, Pyanepсионem Atticum Octobris mense cœpisse, quoniam in Calippi periodo hunc situm habebat. Agitur enim civilis annus non astronomicus. Sed cum validissimum inde telum pro tua posteriore sententia confici credideris; id civile genus anni debes agnoscere; atque hoc pacto in eas te salebras imposuisti, ex quibus explicare te nulla tua Vocabularia poterunt. Quæ itidem ratio contra Scaligerum valet: qui ex Calippicæ periodo de civilium ordine mensium argumenta transtulit.

Sed absurdissimam præterea hanc esse conjecturam, Posideonem solum in intercalariis præter fuit.

Q



